



Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput I. In quonam stet noster ultimus finis, & Beatitudo formalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81382)



DISPUTATIO QUINTA. De Beatitudine.

Post priores Disputationes de DEO quoad essentiam, existentiam, Trinitatem, Prædestinationem, &c. ipsius possessionem utcumque explicandam suscipio. Igitur suppositis duabus veritatibus: unâ, Animas plenè mundatas à propriis noxis DEUM illicò videre antequam veniat ultimus Dies Mundi: Alterâ, videre DEUM in seipso, & non in aliquo Phantasmate substituto (quæ duæ veritates licet olim valde controversæ, jam sunt stabilite in Ecclesia, ut videri potest passim apud Auth: & maxime apud Isquierdo Tom: 1. de DEO Disp: 17. Quæst: 1. & 10.) His inquam suppositis, primarias tantum hac super re quæstiones enodare conabor.

CAPUT I.

In quonam stet ultimus noster finis atque Beatitudo formalis.

I. **S**it conclusio. Ultimus noster finis *Qui est Beatitudo objectiva.* Ultimus noster finis *Quo est Beatitudo formalis.* Quæ intrinsecè constituitur his tribus. Visione DEI, fruitione ejusdem, ac reflexa certitudine de utriusque æternitate. Pro prima, & secunda parte multa invenies quæ strictè ac in rigore Scholastico sumpta probarent hominem suapte natura aspirare in claram DEI visionem, sicut gravè deorsum, & leve sursum; quod tamen falsum est, alias ea visio non foret supernaturalis, siquidem esset naturale centrum hominis. Nequè contrarius est August: sic DEUM alloquens. *Inquietum est Cor nostrum, donec requiescat in te*, quippe loquitur de Corde nostro non secundum solam suam naturam, sed supposita elevatione ad finem supernaturalem, præmiserat enim *quia fecisti nos ad te*. Et quamvis loqueretur de corde nostro secundum hujus naturam non illicò sequeretur illud naturaliter aspirare ad Beatitudinem supernaturalem, quia sufficeret ei sic in-

specto, beatitudo naturalis. Sin verò illa multa, quæ invenies hac super re fumantur in sensu oratorio nihil probant in veritate, & rigore scholastico. Igitur probò primam partem: finis *Qui* vocatur ille, qui movet ad sui consecutionem per media, seu cujus gratiâ cætera fiunt; sed DEUS *ipse*, in quo solo stat Beatitudo objectiva est *qui* movet ad sui consecutionem, seu possessionem per media, & cujus gratiâ cætera omnia quæ fiunt rationabiliter à creatura ad tantum finem elevata fieri debent; Ergo DEUS *ipse* seu beatitudo objectiva est noster ultimus finis *qui*. Cumque ipsum DEUM nequeamus juxtâ rectam rationem ordinare ad aliquid ulterius obtinendum id est ad nostram fruitionem, & quietem, sed in eo sistat mens, ac voluntas, ac ex eo resultet nostra quies, & voluptas, alias incideremus in perversum illum ordinem notatum ab Augustino utendi fruendis, & fruendi utendis: palam sit beatitudinem objectivam esse nostrum ultimum finem. Major constat ex 1. eth. cap. 2. ubi Philosophus supponit, finem esse, quem propter ipsum, & propter quem alia volumus. Et ex Augustino docente. Illud esse finem boni nostri, propter quod amantur cætera, illud autem propter se solum. Prob. min. Verum est, quod homini non debetur ex natura sua consecutio tanti finis eo modo, quo igni debetur calor, alias ea consecutio non esset supernaturalis, quandoquidem esset juxtâ appetitum innatum naturæ. Cæterum ex suppositione quod DEUS illum gratiosè elevaverit ad tanti finis possessionem, ad illum, & gratiam illius, debet homo juxtâ rectam rationem ordinare omnes suas operationes modo unicuique proportionato, id est, unas explicitè, alias implicitè, unas actu formaliter, alias virtualiter, unas directè, alias indirectè juxtâ varietatem actionum humanarum.

II. Eo

Lib. 1.
Confess.
cap. 1.

II. Eo modo quo licet lineæ diverso modo excurrant, diversam habeant figuram, à diversis nascantur peripheriæ punctis, oppositamque habeant tendentiam, in idem nihilominus punctum centricum collimant, quod si plerumque nostræ actiones in DEUM non tendant, sed extrà DEUM, hoc probat illum non semper esse actum, & absolute ultimum finem omnium nostrarum actionum. At non probat non debere esse: probat non esse ultimum finem actionum, quibus à rationalitate in brutalitatem degeneramus; At non probat non esse ultimum finem actionum juxta rectam rationem factarum, non quidem quatenus ipsæ actiones intrinsece malæ debeant dirigi in DEUM, ut ultimum finem nobis possidendum, hoc enim est impossibile; sed quatenus tales actiones fieri non debent. Hinc cum idem DEUS sit ultimus finis omnium rationalium, & ipse solus sit beatitudo objectiva, id est, objectum beatitudinis formalis, sequitur, beatos omnes frui eadem penitus beatitudine objectiva, nec de hac loquutum fuisse Christum apud Joannem.

Joan. 14. In Domo Patris mei mansiones multe sunt; sed de beatitudine formali, id est de visione, & fruitione DEI.

III. Secunda pars constat ex prima, quoniam ultimus finis *quo* est actualis consecutio ultimi finis *qui*. Sed Beatitudo formalis est actualis consecutio, sive possessio DEI, qui est ultimus finis *qui*. Prob. Quamvis aliæ res alio modo possideantur v.g. Filii possidentur à Patribus formaliter per generationem juxta illud *Genes. 4. Evæ in primo suo partu. Possedi hominem per DEUM.* Ager, pecuniæ, feuda, utensilia possidentur expeditâ facultate utendi illis in proprium commodum, & sic de aliis respectivè in eo sensu, quem dedi Disp. 1. de Justitia, & Jure; Verumtamen anima non aliter possidet objecta vera, & simul bona, modo & proprio & vitali, distincto ab eo, quo statua vestes possidet, nisi quatenus mente clarè, ac intuitivè noscit illa atque voluntate fruitur illis. *Fruitur* inquam non per fruitionem, sive actum reflexum, quo gaudet, ac delectatur, eo quod videat, ametque objectum; sed fruitione directâ consistente in amore

ipso, qui exercitè, ac seipso est fruitio, voluptas, ac delectatio de objecto illo. Sed Beatitudo formalis consistit ut jam dicam, in illa clara intuitionem, & hac fruitionem; ergo beatitudo formalis est noster ultimus finis *quo*. Considera sitibundum: aqua specificativè, ac ut distincta à potatione est finis *qui*, potatio ipsa est finis *quo*: Sitibundus est finis *cui*; nam sibi appetit aquam ut potandam. Similiter in præsentem DEUS est ultimus finis *qui*, non quia cætera fiant, ut fiat Deus ipse, sed ut possideatur à nobis. Possessio est finis *quo*, quia cætera, quæ ratione fiunt, debent fieri, ut hæc possessio existat, nos ipsi sumus finis *cui*; nam actus primarius spei Theologicæ est ille, quo anhelamus ad DEUM, ut bonum nobis, id est ut à nobis modo dicto possidendum, non quia nos sumus ultimum resolutivum, seu ultimus finis *qui*, sicut Deus est sibi ipsi ultimus finis *qui*, *cui*, & *quo*. Absit perversus ordo. Siquidem spei Theologicæ non aspiramus ad possidendum nosmetipsos, sed DEUM solum per viam visionis, & fruitionis, unde ille solus est ultimus finis *qui*, nos ultimus *cui*, quatenus primario actu spei aspiramus ad bonum illud, non ut bonum alteri, sed nobis; tamen per alium actum reflexum, nempe charitatis, ordinemus illam nostram felicitatem in majorem gloriam DEI, quamobrem spem Theologicam damnare non debemus, nisi adeo sumus audaces, ut scripturis commendantibus illam secundum se, ac ut distinctam à charitate, resistamus: Ratio autem est. Tum quia actu etiam spei, magni quoque æstimamus DEUM, quandoquidem illum exercitè fatemur ut nostrum ultimum finem; quod autem non æstimemus illum actu spei, tanti, quanti actu charitatis, probat hanc esse meliorem illâ; sed non probat illam esse malam. Tum quia perversitas ordinis staret in eo, quod homo constitueret se ultimum finem *qui*, aut ultimum finem *quo*; sed non in eo quod se constituat ultimum finem *cui*, quia hoc nil aliud est à parte rei, quidquid sit de pulvere vocum, quam quod actu spei affectet DEUM ex hoc motivo; quia bonus est ipsi homini, præscindendo, non autem abjiciendo positivè altius aliud motivum; Atqui motivum illud

est rationale, & ex alia parte non tenemur aspirare explicitè, ac formaliter ad optimum singulis nostris actibus: Ergò licet spes, quam sibi aliqui fingunt, imbibat perversum ordinem, illum non imbibit spes Theologica. Demum spe non aspiramus ad Deum ex placencia in nobis, sed ex placencia in ipso.

IV. Probo tertiam partem, in qua explicantur constitutiva beatitudinis formalis: Sicut felicitas, & beatitudo, cujus capaces sumus in hac vita, non consistit formaliter in sola cognitione arida, & merè speculativa DEI, sed in ipsis duobus, cognitione, & amore, id est, in affectiva conjunctione, ut ita cum DEO, quæ affectiva conjunctio æquè dicat in ratione constitutiva utrumquè, licet cognitionem ut priorem amore (eo modo quo substantiale compositum æquè dicit constitutivè, & non integraliter materiam, & formam, tamen illam dicat ut priorem hac, quando forma est materialis) ita ultima nostra felicitas, & Beatitudo formalis, cum non sit possessio objecti solum veri, aut solum boni, sed veri, & boni simul, nequè dicit constitutivè solam visionem DEI, id est possessionem aridam, & merè speculativam (& sic solvitur argumentum probare intendens, beatitudinem formalem stare in sola visione, eo quia hæc sola est intellectualis possessio DEI: Distinguo: hæc sola est possessio merè speculativa, & arida, atque DEI tantum ut veri, concedo: est possessio DEI ut boni, atque beatificans nego. Num mera cognitio intuitiva divitiarum est possessio faciens hominem divitem!) nequè solum amorem, sed fruitionem directam, & exercitiam, seu intimam unionem affectivam cum DEO, sed æquè utramquè in recto: æquè inquam quoad constitutionem, non quoad meram integritatem, licet inter utrumquè sit disparitas, quod illa visio se habet pro priori ad hanc fruitionem, siquidem ideo à priori tam ardentè affectivè uniuntur Beati cum DEO, quia clarè vident, quis, qualis, & quantus sit in bonitate, seu amabilitate. Undè hæc fruitio non est signata, seu reflexa, quæ nimirum Beati gaudent de sua felicitate, alioquin beatitudo consisteret in

amore proprio, seu actu concupiscencie) sed subjectivè, & exercita. Ipse namquè dulcissimus amor, quo feruntur in Deum tum affectivè, tum perfectè appretiativè super omnia, per se formaliter immediatè, atquè exercitè, quamvis non reflexè, est fruitio, dulcedo, & delectatio, & gaudium de se, ac de DEO; De se exercitè, de DEO signatè. Sicut nostri amores per se formaliter immediatè jucundi voluntati, solent esse delectatio, & fruitio de se, & de amico; de se exercitè; de Amico signatè: Et nostræ cognitiones solent esse notitiæ de se, & de objectis: de se exercitè & formaliter, & quasi experimentaliter; de objectis autem signatè. Quorum enim longum iter abeundi in infinitum reflexarum cognitionum?

V. Quare fruitio, in qua stat beatitudo formalis est actus charitatis Theologicæ. Non qualiscunque, sed essentialiter oriundus proximè ex visione beatifica, & consequenter specificè distinctus ab actu charitatis elicitò in via. Quoniam licet ambo habeant idem objectum materiale, ac formale: Quo fit, ut ex hac parte non differant specie; ac essentialiter habent oriri à principiis specie distinctis, qualia sunt cognitio enigmatica, & cognitio intuitiva; non est autem unus solus modus, quo actus voluntatis, aut intellectus differant specie. Et sic solvitur objectio contra constitutionem beatitudinis per actum charitatis, sumpta ex eo, quod etiam in via habemus hunc. Est item actus charitatis, non qualiscunque, sed qui simul formaliter immediatè per sui receptionem in anima sit fruitio, dulcedo, gaudium, & delectatio: Quemadmodum auditio musicæ ita est vitalis perceptio melodiarum, ut per se formaliter immediatè sit jucunda, potentia auditivæ; Et comestio delicati cibi ita est hujus perceptio vitalis, ut simul exercitè per se ipsam sit fruitio materialis, ac delectatio famelicis palati; Et visio spectaculi pulcherrimi, ita est vitalis perceptio hujus, ut per se formaliter immediatè sit fruitio materialis & exhilaratio oculorum. Potentia animæ, multò magis jucundos actus habent, utpote magis spirituales, & puros, quam potentia corporales, & bea.

beatorum beatitudo formaliter consistit in eis actibus, quos DEUS excitat in illis sanctis animabus in prœmium aliorum eorum pœnialium, quos in hac vita subierunt, & abstinentiæ aliorum, à quibus se cohibuerunt.

VI. Res ita explicata nonnullas vocales quæstiones, quæ hic solent excitari, solvit, & ipsa probatur. Beatitudo formalis non potest consistere in objecto ullo distincto ab operatione Beati, quæ sit possessio illius, quæ veri, & quæ boni: quia tale objectum solum potest esse ad summum beatitudo objectiva, qualem fatemur esse DEUM ipsum, qui sanè potest existere (& idem dico de omnibus aliis objectis) quin existat beatitudo formalis damnatorum; ergo beatitudo formaliter ut talis, debet consistere in actu aliquo, seu perceptione, quæ beatus percipiat aliquid: Ergo non potest consistere in illapsu, quem putabat Henricus, & quo DEUS sese infundat animæ, quandoquidem respectu hujus illapsus se habebit anima merè passivè, sicut quando Spiritus sanctus datur nobis, seu diffunditur per corda nostra; beatitudo autem formaliter debet esse actus vitalis, & consequenter debet esse aliqua operatio beati, qui utpote principium vitale, seu vivens in actu primo, vivit in actu secundo per suam formalem beatitudinem; sed non potest consistere in actu vitali corporeo, quo percipiat aliquid corporale, v.g. honorem, voluptates, &c. nam licet homo non minus constet corpore, quam anima, verumtamen cum portio nobilior, & primaria sit anima, beatitudo christiani hominis, ut talis, debet absolute, & simpliciter consistere in beatitudine animæ, & nequè adæquatè, nequè inadæquatè in beatitudine corporis, utpotè natura sua fluxa, & indigna, quæ imaginem, & similitudinem DEI beatificare possit: Immo cum DEUS jam præceptis, jam consiliis, & interdum lege etiam naturali, arceat nos ab hac felicitate seu beatitudine corporum pari, vel suppari felicitati belluarum, palam sit, miseram, & probrosam felicitatem non posse esse beatitudinem formalem illorum, quos ad imaginem, & similitudinem suam fecit DEUS, &

qui ipsius genus sunt, ut ex Arato poeta citat Paulus: & quibus ipse DEUS dicit. *Alfor. 17. Nolite fieri sicut equus, &c.* ergo beatitudo nostra formalis debet consistere in actu, seu operatione animæ; At in anima duæ tantum sunt primariæ potentia, nempe intellectus, & voluntas; nam licet etiam sit potentia memorativa, apprehensiva, & discursiva, hæ omnes sunt unus, & idem intellectus diversimodè nominatus juxta diversitatem cognitionum. Item licet sit potentia volitiva, nolitiva, amandi, & odio habendi capax, hæ omnes sunt una eademque voluntas diversimodè nominata; ergo beatitudo nostra formalis debet stare in actu, seu operatione hujus utriusvis potentia, vel unius tantum.

VII. Sed non unius tantum, tum quia licet Scriptura, & PP. præcipuè Augustinus, inquiens, visionem esse totam mercedem; interdum meminerint solius visionis, interdum solius gaudii, (parvel suppar numerus est autoritatum pro utroque) id faciunt inhærendo prisco mori scripturarum, juxta quem, quando sermo est de homine v.g. quandoque exprimitur unum solum constitutivum. *Videbit omnis Caro salutare DEI. Luc. 32. Item. Effundam Spiritum meum super omnem Carnem. Joel. 2.* Quandoque alterum solum. *Da mihi animas. Item. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Egyptum, &c. In-* *Genes. 14. lb. 46.* hærendo etiam alii mori Scripturæ ponendi causam pro effectu, & viceversa; Tum quia si beatitudo formalis consisteret in actione unius tantum potentia, sequeretur, quod rationalis altera potentia maneret jejuna, & beatus foret sicut monocus, qui uno oculo esset felix, & altero captus, & consequenter beatitudo non esset integra, & adæquata, sicut nequè visio illius monoculi, sed tantum partialis, & ut supra dicebam, esset arida, & sicca speculatio objecti, vel amor obscurus, & imperfectus, & consequenter non esset perfecta possessio DEI, tum ut veri, tum ut boni. Ergo beatitudo nostra formaliter debet consistere æquè constitutivè in operatione intellectus, & operatione voluntatis, tametsi hæ duæ operationes non se habeant mutuò comitanter, sed illa præcedat huic, alioquin beatitudo vel esset clau-

clauda, uno pede carens, vel manca, privata unâ manu (& sic solvitur obiectio agentium beatitudinem consistere formaliter in sola visione, quippe consistit formaliter in sola possessione DEI. Solvitur inquam, ut paulò antè dicebam, quippe non consistit in sola possessione arida, & mere speculativa, sed in possessione, ut dulci, ut jucunda, ut delectabili, atque DEI ut veri, & etiam ut boni; ut talis autem non est sola visio, sed hæc ut conjuncta cum dicta fruitione. Præterquam quod si illa vox *possessionis* accipitur in sensu proprio, & obvio, significat falsum, si in metaphorico significat intuitivam cognitionem; Ergo significat id, de quo est quæstio, & assumitur, quod probandum est) Pergo. Sed non consistit in his operationibus respicientibus aliud à summo bono, quia nihil aliud esset par beando plenè, & totaliter illum, qui ad imaginem summi boni conditus est; quandoquidem ultra quodvis aliud, est assignabile aliquid, nempe DEUS ipse, ad cujus notitiam, & fruitionem aspiret homo, ut ibi sistat tanquam in centro, quin sit possibile aliud, ad cujus intuitionem, & fruitionem magis anhelet; ergo beatitudo nostra formalis debet consistere in operatione intellectus, & voluntatis, tendentibus immediatè, ac directè in summum bonum. Sed non in operatione intellectus, quæ sit mera apprehensio, nec in ea, quæ sit discursus, nequè in ea, quæ sit iudicium obscurum, & abstractivum, quia ultra hæc omnia est alia operatio possibilis, clara nimirum visio, quâ anima intueatur citra comprehensionem (quia hæc est impossibilis) quis, quantus, & qualis sit DEUS, ad quam operationem aspirare potest homo. Ergo debet consistere in iudicio claro, & intuitivo. Ergo in visione.

VIII. Rursus nec potest consistere beatitudo in operatione voluntatis, quæ sit odium, nolitio, spes, Desiderium, quia est alia dulcissima, & arctissime conjungens voluntatem cum DEO, nempe amor summi boni; sed non quilibet amor illius, quia viator etiam potest ardentissime amare DEUM: ergo debet esse specificus quidam amor summi boni; scilicet qui ex sua essentia proce-

dat ab intuitionem illius, & consequenter, qui specie distinguatur à charitate concepta in via, non utique ratione solius majoris intensiōis, siquidem *major, & minor* non semper mutant speciem; non item ratione obiecti formalis, quippe idem est obiectum formale utriusque charitatis, sive amoris, sed ratione alligationis essentialis ad principia specie distincta. quandoquidem amor beatificus est essentialiter alligatus visioni intuitivæ DEI, amor autem vialis alligatur cognitioni abstractivæ, & obscuræ; ergo de primo ad ultimum beatitudo nostra formalis (idem de angelica respectivè, immo, & de divina) stat simul indivisibiliter in visione, & fruitione DEI, habentibus inter se ordinem dictum. Nequè dicas, minores beatos posse quoque aspirare ad beatitudinem majorum, siquidem ultra illorum beatitudinem est possibilis hæc alia major, quæ est major possessio summi boni, & major propinquitas cum centro: Etenim cum beatitudo formalis non consistat in indivisibili, sed capax sit intensiōis, & remissionis, ex eo quod ultra beatitudinem A sit possibilis alia major, non sequitur beatitudinem A non esse beatitudinem formalem, sicut non sequitur calorem ut quatuor non esse verè, & simpliciter calorem, ex eo quod possibilis sit calor ut sex, minores autem Beati non possunt aspirare ad beatitudinem majorem in sensu composito, quod DEUS illis eamneget.

CAPUT II.

Illationes, & Objectiones.

IX. **H**Inc. Humanitas habens hypostaticam unionem cum Divina personalitate, est quidem beatissima formaliter, siquidem gaudet visione, ac fruitione dictis; sed non ut formaliter beata immediatè, ac formaliter ratione solius unionis, quia ex vi hujus formaliter humanitas non possidet DEUM, sed possidetur à DEO; non enim humanitas Christi Domini v.g. assumpsit verbum, sed verbum assumpsit humanitatem, & quamquam ea humanitas ex vi formaliter unionis habeat DEUM, sicut etiam dici potest, quod homo justus ex vi formaliter sanctitatis suppositâ Divinâ pro-

Origene
Hom. 14
Lucam
Tertul.
Carne
Christi.